

www.e-rara.ch

**Pandectarum sive partitionum universalium Conradi Gesneri Tigurini,
medici & philosophiae professoris, libri XXI**

Gessner, Conrad

Tiguri, anno 1548

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.13,2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1936>

Clarissimo typographo Christophoro Froschovero Conradus Gesnerus S. D. P.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CLARISSIMO TYPOGRAPHO CHRIS-
TOPHORO FROSCHOVERO CONRADVS
GESNERVS S. D. P.



NON primus ego unius uoluminis diuersos libros pluribus singillatim nuncupo: fecerunt idem etiam alij memoria nostra, itaque solidae eruditionis uiri. Mihi quidem consilium non est, quodcumque illis fuerit, de eadem fidelia (ut aiunt) plures parietes dealbare: qui dedicationibus istis neque tam gloriam illorum ad quos fiunt, neque meum aliquod commodum, quam propositi argumenti illustrationem, reique literariae utilitatem quaesierim. Etenim in studiosorum gratiam ut Opus hoc uniuersum composui, ita singulorum eius librorum inscriptiones feci in typographorum illorum nomina, qui hoc tempore maxime florent, ac optime de bonis studijs meriti essent, ut simul hac occasione quinam ex officinis eorum libri produuissent, quotquot meminisse poteram, commemorarem: simul ut gnauiter pergerent pro uirili mea illos animarem. Excitatur enim ferè ad maiora, qui antea ceteros labores suos quamplurimis & utiles & gratos fuisse, seque publicis illorum gratia laudibus, tanquam suae primio uirtutis, affici celebrarique animaduertit. Principem uero tibi locum Froschouere inter claros aetatis huius typographos assignaui, non de industria quidem, neque primario instituto, sed casu, ut modo dicam. Destinaueram tibi postremum huius Operis de Christiana theologia librum, tum quod illius argumenti plurimos Latine et Germanice libros excudisses, tum quod modestius ita mihi facturus uiderer, neque nimium patriae & ciui, minus exteris à me tribui suspicionem excitaturus. Sed cum ita contingeret, ut duo postremi libri in praesentia non adiungerentur reliquis, & primus adspotos superesset (ab initio enim editionis nondum hoc consilij ceperam) nemini iustius quam tibi illum debere existimaui. Nam tu quoque primus ad utranque Bibliothecae partem mature elaborandae ergo diocetes mihi fuisti, magnisque sumptibus & laboribus tuis has & alias plerasque lucubrationes meas publicasti. Tu iam uigesimo sexto ferè anno optimos subinde codices excudere non cessas, Latina & Germanica lingua plurimos, nonnullos etiam Graeca: eosque omnes optima fide, diligentia summa, adeo ut nihil usquam de boni typographi officio desiderari in te possit. Bene itaque cecidit ut quod casu quodam factum est, idem optimo iure & ex officio meo factum uideatur. Quanquam nemo ita iudicare debet, ac si librorum ordo, quos alijs prius, alijs posterius dedicaui, discrimen aliquod inter typographos constituat. Non enim ordinem, sed argumentum ut plurimum respexi, in quo quis uel numero uel dignitate excusorum à se librorum excelleret: & alicubi forte ut primum quis in mentem uenit, ita liber aliquis ei dicatus est. Nulla hic ut in ambiosis conuentibus *επιτιμωδία*, nulla comparatio, in suo omnes genere excellunt. Alij unius, alij duarum aut plurimum disciplinarum aut linguarum libros exhibuerunt: & qui numero uincuntur, in paucis diligentia comperauerunt, aut unum forte multorum instar dederunt. Porro plures superesse dignissimos celebrari typographos non sum nescius, nec ullum equidem illorum quos laude dignos noui praeterissem, si toridem mihi numero nuncupandi libri superfuissent. Sed uino, quod aiunt, uendibili non opus est suspensa hederà. Tu primum hunc librum optime Froschouere, hilaris accipies, & ut bonas literas omnes, ita Grammaticam & Philologiam, quod argumentum eius postulat, strenue promouere perges: sic animum tibi alacrem & successum felicem amantissimus humani generis Christus rebus tuis semper cunctis propitius gratificetur. Vale. Tiguri. Anno Salutis 1548. duodecimo Calend. Septembris.